



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Margarita Evangelica

Essche, Nicolas van

Coloniae, 1545

In quo rursus erigi debeant. 15

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49323](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-49323)

MARGARITAE EVANG.

conuerterit per fidem, spem et charitatem, ita ut
 delictet, ut Deum super omnia diligat, & in ipso
 speret magis, quam in omnibus creaturis, & in
 ipsum credat, utpote quod est trinus & vnus, idem
 que indiuisus Deus in vna deitate, & in vna pu-
 ra ac simplici essentia, quæ ipsi soli cognita est,
 tunc nimirum anima bene habet. Et quia Deus
 sibi soli cognitus est, ideo ipse quoque solus sei-
 ipsum perfecte diligere potest. Nos autem ad hoc
 ab ipso conditi sumus, ut eum cognoscamus,
 amemus, ipsoque fruamur. Ad quod si pertingere
 velimus, cum ipso nos vniri oportet. Si vero cum
 ipso velimus vniri, illud omnino fieri habet per
 merita sanctissimæ humanitatis suæ, quam pro
 pter nos assumpsit, per cuius omnimodam perfe-
 ctionem omnis imperfectio nostra perfici, & om-
 nes animæ vires in locum suum, in quo fue-
 rant a Deo primitus constitutæ, restitui possunt.

Quarto, in quo rursus erigi debeant ani-
 mæ vires. Cap. XV.

IAM vero si quærat aliquis, in quo reforma-
 ri, & denuo erigi debeant animæ vires, id om-
 nino fieri habet per Christum Iesum, qui est
 reformatio & redemptio nostra, per quem spiri-
 tus noster amissæ libertati restituitur, & in Deum
 eleuatur, vbi omnes vires animæ nostræ tam in-
 feriores, quam superiores, omnes quoque sensua-
 les motus in vnum colliguntur, suo pristino lo-
 co restituntur, in Deum eriguntur, & suo prin-
 cipio applicantur, ut cooperentur in actioni Dei,
 vbi quoque sensus omnes introrsum trahuntur ad
 summum bonum, quatenus semper audiant &
 videant æterna, gustent & tangant diuina, & ad
 exte-

LIBER I.

exteriora qualibet & sensibilia velut insensibiles, ad spiritualia vero & interna viuaces existant, utque omnia, quae exterius videre & audire contingit, in Deum trahant, prout veros decet amatores. Etenim per hoc omnis nostra conuersatio, omne agere & dimittere, cunctaque opera nostra dirigi atque perfici, & summi boni capacia fieri valebunt.

Quinto, in quo persistere debeant ac permanere. Cap. XVI.

DEnique ut in rectitudine sua persistere valeant, tria nobis sunt iugiter obseruanda. Primo introuersio continua in spiritum, & ut semper maneamus in praesentia Dei per puras cogitationes, & per claram cognitionem, & voluntatis unionem, ut videlicet vnus cum Deo spiritus effici & manere cupiamus, idque per merita humani gaudiosi spiritus sui, per quem memoria nostra libertati restituitur, intellectus illuminatur, & voluntas in amore diuino vnitur, ad prosequendum semper beneplacitum Dei voluntatem. Secundo, ut domino Deo nostro semper obediamus, & ipsi cum omnibus viribus nostris subditissimi, ipsaque vires simul omnes Deo applicatas seruemus, & hoc per merita sanctissimae ac modestissimae animae suae, per quam ratio illuminatur, vis concupiscibilis purificatur, & irascibilis, humilis atque mitis efficitur, omnes quoque affectiones, spes videlicet & timor, amor & odium, gaudium & dolor atque pudor motu diuino aguntur, & simul ad Deum vnite seruantur, per arctam quinque sensuum custodiam. Et inde conscientia in summo gaudio & exultatione constituitur, eo videlicet,
G quod